

5

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

EXHIBENS

QUÆSTIONES MISCEL-
LANEAS,*Quarum veritatem,*

DEO CLEMENTER ADIVVANTE,

SUB CLYPEO

Clarissimi & Excellentissimi Viri:

**DN. M. CASPARIS
EBELII,**IN CELEBERRIMA AC FLO-
RENTISSIMA MARPURGENSI ACA-
demia Logices ac Metaphysices ProfessorisOrdinarii, Præceptoris, Promotoris
ac Fautoris sui in æternum ho-
norandi & colendi.Pro consequenda MAGISTERII LAUREA omnibus ac singu-
lis Philosophia studiosis examinandam prop. nit**HENRICUS GUARINUS
COGNOMENTO Dicthauus**

Marpurgo-Cattus.

In Collegio Philosophico ad diem 18. Augusti, horis consuetis.

—S (* * *) S—

MARPURGI CATTORUM,
Typis NICOLAI HAMPELII, Acad. Typogr.

M. D. C. XXXIX.

**NOBILISSIMIS, ADMODUM
REVERENDIS, CLARISSIMIS ET
Excellentissimis Viris:**

- Dn. JOHANNI KORNMANNO, J. U. D. Excellentiss. ejusdemq; Professori in Illustri hac Academia Marpurgensi Celeberrimo, p. t. Magnifico R E C T O R I , Amplissimæ Facultatis Juridicæ DECANO, & Sacr. Palat. Cœf. Comiti meritissimo.
- Dn. GEORGIO HERDENIO, SS. Theol. D. Ecclesiæ Marpurgensis Pastori, vicinarumque Superintendenti vigilansissimo.
- Dn. JUSTO FEWRBORNIO, SS. Theol. D. ejusdemq; Professori primario & Ecclesiastæ fidelissimo.
- Dn. HENRICO DAVIDI STIPPPIO, J. U. Licentiatu meritissimo, P r æ fecto in Rauschenberg/Rosenthal & Gemünden ad Wohram eminentissimo.
- Dn. GEORGIO STANNARIO, Physices Professori Cassellano ordinario.
- Dn. BALTHASAR I Zahns / Pastori Ecclesiæ, quæ colligitur Christo apud Breidenbacenses vigi antissimo.
- Dn. WIGANDO GUARINO cognomento Dithaut/ Diacono Ecclesiæ Braubacensis fidelissimo.

U T E T


Prudentissimis, Spectatissimisq; Viris,

- Dn. ERICO MICHEL BECHER O, Senatori Marpurgensi fidelissimo.
- Dn. JOHANNI NICOLA O Hechtern/ Illustriss. ac Celsiss. Principis ac Domini, Dn. GEORGI Hassia Landgravii, &c. Archimagito meritissimo.
- Dn. JOHANNI ZISLERO, Prætori in Holzhausen dignissimo.

*Dominis suis Promotoribus & Patronis, Affinibus, Cognatis,
Avo & è Sacro Baptismatis fonte suscep tori, Exatri, Dispu-
tationem hanc gradualem in studiorum suorum commen-
dationem & perpetuam beneficiorum recordationem,*

Dedicat, dicit & offert

Autor & Respondens.





Objectum Metaphysicæ est Ens quatenus Ens.

Dignitatem & certitudinem disciplinæ ex objecto æstimandam esse constat, hinc Metaphysicæ ab aliis scientiis differentiationem ab objecto desumptam hæc quæstione perscrutari operæ pretium erit, quæ brevi assertionis confirmatione & adversæ opinionis refutatione absolviri potest; sed certis veri & adæquati objecti conditionibus præmissis tutior ero, ex quibus quid statuendum, cuilibet patebit; Ergo I. Verum & adæquatum objectum, disciplinâ neg angustius neg lat us sit : id est, objectum debet omnia continere, ita ut omnia, quæ in scientia aut disciplina veltantur, vel tanquam principia, vel tanquam proprietates, vel tanquam species & partes considerantur, ad illud objectum revocentur. II. De eo affectiones demonstrantur. III. Non cum ipsa disciplina demum incipiat, sed multo ante existat. IV. Sit unum, speciebus inferioribus conveniens, licet non semper univoce sufficit, si analogice. V. Habeat materiale & formale & per quo i ab aliis scientiis distinguatur. Tale quoque Metaphysicæ Ens quâ tale, in theoremate positum intelligitur, quodq; paulò post probatum dabitur. Hic non ignorandum, quod obj etum quoque hoc consideretur vel quoad materiale & rem consideratam, vel quoad formale & considerandi modum;

Illud dicitur Ens, & complectitur Ens reale, per se, Deo &
 creaturis commune; Hoc plerisque est quatenus Ens, uti
 ex *ii. Metaphys. cap. i. & 6.* & ex aliis locis constare videtur.
 Aliis commodior videtur illa ratio formalis, abstractio se-
 cundum rem & rationem, & firmâ nititur ratione: Quia
 Ens (quod juxta priorem sententiam reduplicativè acce-
 ptum, considerandi modus est) sub istâ reduplicatione, hac
 abstractione dimissâ, aut præcisè secundum generalissi-
 mum conceptum, exclusis rationibus Entis specialibus, su-
 mitur, aut prout se quoque extendit ad conceptus & ratio-
 nes speciales: Si prius, subiectum Metaphysicæ esse non
 potest, cum Metaphysicam ad Substantiam & Accidens
 descendere posse sic negetur, quæ non communissima En-
 tis ratio, sed conceptus & rationes speciales sunt, quod ta-
 men foret absurdum. Si posterius, nec ita poterit, cum Me-
 taphysicæ entia Materialia & proprios eorum conceptus
 & quæ ac immaterialia explicanda traderet, quia utrobique
 Entitas reperitur, atq; ita oreretur disciplinarum omniū in
 unam confusio *Excip.* disciplinam limitari per quatenus Ens
 est adiunctâ abstractione, exemplo Physicæ, quæ quidē cor-
 pus naturale quatenus naturale contemplatur, non tamen
 considerat individua propter abstractionem. *Resp.* Ergo
 hinc quatenus Ens non sufficit, si necessario adjungenda ab-
 stractio. Nam Physica corpus naturale quâ tale considerat,
 & tamen propter abstractionem individua, licet non mi-
 nus ac universalia sub illo continantur, non pertractat.
 Ratio est, quia universalia à materiâ Physicâ abstracta, singu-
 laria eadem immersa sunt. Prout igitur in Physicis ad exclu-
 denda individua solum quatenus corpus naturale non suf-
 ficit, secus vi reduplicationis omnia corpora naturalia es-
 sent singularia, abstractione dimissâ, consideranda essent:
 ita quoque in Metaphysicis idem non sufficit, *In stat.* Sed
 per

per abstractionem à materia secundum rem & rationem
 excludi transcendentia, quæ, quia indifferentia tamen in ma-
 terialibus quam immaterialibus reperiuntur. *Resp.* Abstra-
 ctio à materia secundum rem & rationem ex consensu
 communis statuitur duplex, una per essentiam, quæ abstra-
 cta dicuntur, quibus prorsus repugnat esse in materiâ, & in
 se & in inferioribus, ut pote est substantia spiritualis, quæ nō
 solum in generali conceptu, sed etiam ad particularia de-
 scendendo, sub spirituali substantiâ contenta, ab omni ma-
 teriâ prorsus abstrahit. *E. Gr.* Angelus non solum in conce-
 ptu generali abstrahit à materia, sed etiam quoad individua
 naturæ angelicæ. Altera per indifferentiam, hac dicuntur
 abstracta, quæ in generali & præciso suo conceptu mate-
 riā non implicant, cum illa tamen conjungi possunt, v. gr.
 substantia in tali conceptu nullam materiam, vel à parte
 rei aut secundum rationem implicat, nec tamen eidem
 cum ipsâ conjungi repugnat: & hæc abstractio est conside-
 rationis Metaphysicæ, & omnibus transcendentibus com-
 munis, quæ ipsa propter hanc indifferentiam immaterialia
 dicuntur, non positivè intelligendo rem immateriale,
 sed negativè, ut denotat id quod nō includit materiam. His
 prænotatis objectum Metaphysicæ adæquatum (Ens qua-
 tenus tale, adjunctâ abstractione) his argumentis confir-
 matur: Cuicunq; convenient omnia requisita supra enu-
 merata objecti adæquati, illud ipsum est verum & adæqua-
 tum objectum. At qui Enti quâ tale est, hæc requisita com-
 petunt *E. Minor* probatur. I. Objectum adæquatum sit dis-
 ciplinâ neque latius neq; angustius, Ens quatenus tale non
 latius nec angustius est. *E. Assumpt.* prob. quicquid in Me-
 taphysicâ tractatur aut est affectio aut principium aut spe-
 cies Entis. II. Cui convenient per se primò passiones gene-
 rales, quæ in Metaphysica demonstrantur illud est adæqua-
 tum

6

tum ejus objectum, Ens reale, per se, &c. est tale. Major probatur, quia rō primō in sensu Arist. hīc sumitur, quod inest sibi secundū quod ipsum & non per aliud, & omni alii inest per ipsum, hāc est conditio primi subjecti cuiuslibet passionis. Minor liquet, quia passiones videlicet unum, verum, bonum, per se primō convenient omni Enti in quantum Ens. III. Objectum præexistat, at Ens in rerum naturā priusquam Metaphysica excogitata exsilit. IV. Subjectum alicujus scientiæ verum & adæquatum est unum, At Ens hoc modo sumptum, est unum. E. Major certa est, ex Aristotel. r. post. text. 49. quod omnis scientia dicitur à subjecto, à quo unitas illa sumitur. Minor probatur, quia non habet se ut Ens universalissimè sumptum, prout comprehendit Ens reale & rationis, &c. quod est æquivocum, sicq; non est unum quid, sed multa. V. Illud est objectum adæquatum alicujus disciplinæ, per quod ab aliis disciplinis & scientiis distinguitur, at Ens reale, per se, est tale. E. Major est manifesta, objectis enim disciplinæ discernunt & differunt Minor, quia propter abstractionem à materiâ, secundū rem & rationem ab aliis scientiis distinguitur, ut ex peculiari cuiusvis scientiæ abstractionis genere constat. Hactenus de objecto vero, adæquato & genuino, ex dictis igitur adulterinum, quod genuino, vel latius vel strictius, quale. I. Eorum, qui Ens latissimè patens, prout ens reale & rationis positivum & privativum, perse & per accidens sub se comprehendit, objectum Metaphysicæ statuunt, quæ opinio ut erronea rejicitur, quia primō, Ens per accidens, cùm unum, Ens verò rationis, revera ens, non sint, sub uno entis conceptu minimè includi possunt. Secundò nec passiones reales habent, quæ de iisdem demōstrantur Itaq; ens per accidens, quia unum non est, sed multum, subjectum esse vel ad subjectū pertinere nequit, cùm unius

7

unius scientiæ, ex præsuppositis conditionibus, unum re-
quiratur subiectum. II. Eorum qui Deum, ens creatum,
substantiam immaterialem, substantiam in communione, ens
per decem prædicamenta divisum constituunt, quorum ar-
gumenta diluenda conflictui reservamus, hoc tantum re-
ponimus, quod hæc omnia aliquid scibile supra se relin-
quant lumine naturali cognoscibile, quodque in nullâ,
aliâ disciplinâ præter Metaphysicam, tradi possit. Ens igitur
reale, per se, prout Deum & creaturem, substantiam & acci-
dens sub se complectitur, quatenus tale, verum, genuinum
& adæquatum Metaphysicæ objectum concludimus.

Objectum Physicæ est corpus naturale quatenus naturale.

Vera scientiarum distinctio per dicta ex abstractio-
num diversitate oritur, quarum prima est à materiâ secun-
dum rem & rationem ac Metaphysicæ suum assignat subje-
ctum, secunda à materia secundum rationem solum ac Ma-
thesi suos circumscribit limites, tertia est à materiâ signata
hoc est, singulari & Physicæ suas vendicat contemplatio-
nes, quæ materia singularis, licet speculationis Physicæ
non sit, quoniam singularia ad scientiam per se non spe-
ctant, tamen circa materiam sensibilem versatur sub ratio-
ne communi & universalis; ita cognoscendo hominem, non
cognoscit implicando materiam Pauli, Petri, &c. Sed præ-
cisissim individualibus circumstantiis, quatenus corpus natu-
rale, &c. De eo ipso, cum olim inter Aristotelis interpretes
vehementer disceptatum sit, quæstionem instituere luber,
ubi priore loco dissentientibus Philosophorum opinioni-
bus expositis, vera & communis sit sententia brevibus pro-
ponetur. Variæ autem in illo assignando circumferuntur
opiniones, quædam veritati viciniores esse, quædam ab ea-
dem longius recedere videntur: Quidam enim objectum
Physicæ statuunt Ens quocunq; modo mobile, & latius pa-
tens

tenus quam corpus naturale , & hi sequi sibi videntur opinionem *Thoma*, in proemio Physico, subjectum Ens mobile afferentis, quam sententiam in principio lib. de celo mutavit, dum pro Ente mobili, corpus mobile posuit. Alia est opinio *Scoti*, qui substantiam naturalem ex *Arist.* Physicam circa substantiam versari dicente, objectum Physicæ statuit. Alii ut remotiores, corpus quatenus generationi & interitui obnoxium subjectum Physicæ astruunt, sed & hi errorem committunt, dum cœlum universali Physicæ objecto, tanquam generi suo includi negant, cum illud corruptionis expers sit, absurdum enim foret, præcipuum corpus, cœlestes scilicet excludi ab adæquatâ objecti Physici ratione. Nec veritatem assecuti, qui corpus naturale mixtum objectum statuerunt, nam elementa sunt corpora simplicia non mixta, nec, ut ipsi volunt, tantum sunt principia corporis, sed etiam corpora naturalia per se existentia, indeque species subjecti. Nec illorum opinio errore vacat, qui substantiam sensibilem substituunt dicentes, rationem formalem subjecti esse rō sensibile, si enim hoc esset, accidentia in Physicâ per se tractari, concedant oportet, substantias verò per accidens, quia sensibile esse, illis per se, his per accidentia convenit. Hæc itaque posterior triplex classis ut angustius Physicæ statuit objectum adeoq; in defetu, ita prior communius, & sic in excessu peccat, quæ tamen meretur defensionem, dum modò ejusdem ad stipulatores, quoniam minus accuratè locuti, & rem obscurius proponentes, omnes, in re convenient, si verba sano sensu interpretari velint & per rō mobile internum principium motus, & per rō naturale, id quod habet in se naturam, id est, internam propensionem ad recipiendum motum intelligant ; quamvis clarius indigitari possit, per corpus quam substantiam, vel Ens, quia modus considerandi in
scien-

Scientiis speculativis, rei consideratæ æqualis requiritur. Vera & recepta igitur recentiorum sententia statuit objectum Physicæ corpus naturale, quatenus naturale, ex Arist. 6. Metaph. cap. 1. text. 1. Zabarel, de nat. sc. constit. cap. 2. scilicet quatenus in se habet naturam, quæ motus principium esse definitur. Atq; huic omnes veri & adæquati objecti conditiones convenient, de quibus suo loco.

An summum bonum in hac vita in hominem cadat.

Quodnam summum bonum sit, pauci intelligunt, Aristotel. lib. 1. Eth. cap. 5. ut haud incommodè illud vulgi huc quadrare videatur, quod capita tot sententiarum præcipuas adducere placet. In ipso quasi limine impingunt, qui I. Voluptatem corporis, summum bonum statuunt, quales sunt Epicurei, qui quia pecorum nomine potius quam hominum veniunt, ideoque non verbis, sed verberibus redarguendi, solius enim hominis proprium erit summum bonum, quia virtute acquiritur, quæ soli homini convenit, sed voluptas homini cum bestiis communis est, quia delectationem sensuum sequitur, ut ab iisdem turpiter viventes vix differre videantur, cum in regno voluptatis virtuti locus nou sit, vel turpitudinis & honestatis nullum habeatur discrimen. Summum autem bonum hominem perficiat, corporisque & animi dotes conservet. II. Qui ambitionis vento inflati summum bonum in honore collificant, etiam periculosius errare putantur. Quamvis enim verus honor animi virtus sit, pleno ore laudanda, ut virtus adæquetur, nihilominus summum bonum esse nequit, quod constans & immutabile est honor vero mutabilis, vanus & fallax. III. Gravius his offendunt, qui illud in divitiis ponunt, quia summum bonum sine virtute nulli hominum contingit, divitias vero homo, nullâ virtute praeditus, quandoque possidet, eiq; irritamenta malorum sunt, & ad

justa & honesta aditum præcludunt, sæpiissimeq; viam ad vitam æternam claudunt, licet non per se sed per abusum. Rectâ denique viâ incedunt, qui summum bonum in actione virtutis consistere volunt, *Arist.lib.1.Eth.cap.8.* ubi virtus non posita est in habitu tantum, sed etiam actu exercetur, idque in hominem eadere afferunt. Id probatur I. quia ad eam consequendam media nemini denegantur, idque 1. ex creatione quâ virtutes communicantur. 2. ex studiosa imitatione, si ipsis actionibus virtutum sedulè inhient. II. Natura nihil facit frustra, jam appetitus humanus suo frustraretur sine, si nullus esset finis ultimus. Observandum autem adhuc, quod sermo sit de summo bono, Ethico, non Theologico, quod in vera Dei agnitione & totali ejus fruitione, quæ ipsa vera beata vita est, consistit, quam in hac viâ spe non re possidemus.

An è quomodo Iudei in Christiana Republicâ tolerari possint?

Duo præsens quæstio includit membra, an scilicet Iudei tolerandi, & quomodo. De primo Iudeos in Rempublicam Christianam & securitatem principum recipi posse, sequentibus suaderi posse rationibus videtur. I. à Scripturæ Sacrae silentio, quæ nullibi docet, quod Iudei non seditionis, sed sanctionibus politicis se subjicientes, protersus non tolerati, sed ex orbe Christiano profigari debeant; Verum contrarium potius divina oracula efflagitant, *Ps.59.v.12. Ose.3.4. & 5. Rom.11.25.26.* II. à tolerantiae commode, si quidem iræ divinæ speculum omni orationi exhibent, Deum in promissionibus verum & comminationibus certum esse contestantur, se olim selectum Dei populum, nunc propter Messiam rejectum & crucifixum, in tanti facinoris commissi poenam superesse & per universum terrarum orbem sine Rege & capite dissipatum esse. III. Ab Ecclesiæ

vete-

veteris exemplo, quæ Judæos ex orbe Christiano non prorsus profligavit, sed has immunitates & privilegia concessit, ut ab injuriis, vexationibus & expilationibus privatorum immunes essent, uti constitutiones de jure Civili & Canonico docent. Hoc non obstante, certis tamen cautionibus & specialibus legibus recipiendi, quæ in hoc secundo membro adduntur.

I. Ne immodicas usuras exerceant, sedulò caveatur, quibus sanguinem Christianorum exugant, otio & delitiis indulgentes, iisdem illudant: ut à fœnore sibi temperent, aliisque commerciis illicitis & rebus furtivis abstineant, Magistratus eos coérceat, utque legitimis, honestisq; mediis victum & amictum querant, ad duros labores adgredi, ut servi & exules esse agnoscantur, servitia in Sabbatho à Christianis ipsis denegentur, ne, velut serviliorum superstitionis cultum approbare vel promovere, & ad execrandas & diras blasphemias evomendas, à quibus omnino immunes esse debeant, ansam præbere videantur.

II. Legibus propriis uti prohibeantur, & coram judicibus Christianis, non Judæorum senioribus, litigare, legibusq; Romanis vivere cogantur.

III. Ad officia publica & dignitates non admittantur.

IV. Coetus pitorum adire, Sacras conciones audiire, compellantur, verbum Dei scrutari admonentur, per quod Spiritus S. in cordibus hominum fidem operatur, quodq; potentia ad salutem omnibus credentibus, non revertitur vacuum, nisi ei obstinatè resistatur.

Ob spem igitur conversionis sic tolerari possunt ad quam media adhiberi & obstacula removeri debent, hincque Synagogæ ipsorum nequaquam concedendæ, in his enim Christi nomen blasphematur, Christiani diris devoventur, religioque vera contemnitur. Hujusmodi conditionibus rite observatis Judæos tolerari posse concedimus.

COROLLARIA.

- C**onversio per contrapositionem non est species conversionis propriæ dicta.
Conversio per contrapositionem non mutat qualitatem formaliter.
Qualitates dantur occultæ.
Odores nutritre negamus.
Vnus, verum, bonum sunt affectiones Entis adequate.
Omne Ens est bonum.
Autroxdeia non est licita.
Haretici non sunt interficiendi.

DOCTISSIMO DOMINO RE- SPONDENTI PHILOSOPHIÆ Candidato.

PRÆSES GRATVL.

TU quoq; diffcili fudas animosus arenâ
HENRICE? in Sophiam sic tibi fervet amor?
Aude aliquid, multum est tali concurrere Marte,
Pulchrius haud usquam fervidus esse potes.
Vince modò, emeritâ florebbit laurea fronte,
Atq; tuum ornabit, non premet ipsa caput.

F I N I S.

—S (* *) S—